



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Illvstrivm Controversiarvm Biga.

Caraccioli, Antonio

Coloniæ Agrippinæ, 1619

Qvartvm Argvmentvm.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64242)

& Apollonio Coss. Ordinatio autem Perpetui non debet referri ad eundem Annum 460. quæ enim fieri potuit, vt inter tot, tantasque bellorum procellas, quæ per id tempus Gothis, vt Isidorus tradit, Gallias inuadentibus, Aruernos Turonicosque potissimum diuexarunt, Sanctus Perpetuus statim, ac Sedem Turonensis Metropoleos inijt Concilium illud Veneticum, quo tot Episcopi conuenerunt, cogere, celebrare, & tutò absoluerè potuerit? Quod si cõ vim ad eò probabilis coniecturæ mihi cõcedatur, saltem Anno præcedente, videlicet 459. ordinatum fuisse Episcopum, cum ex altera parte constet, vel ipso Baronio asserente, id accidisse Anno 64. ab obitu Martini, euidentissimè inde sequetur Martinum anno Christi 395. ad cœlos euolasse, tot enim remanent, si è 459. subduxeris 64.

III.

QUARTVM ARGVMENTVM

SANCTVS GREGORIVS lib. 2. de miraculis Sancti Martini cap. 1. tradit se factum fuisse Episcopum Turonensem anno 12. Sigeberti Regis, & 179. à Martini obitu. Incidit annus iste in Annum Christi 574. Quod quia Baronius ipse concedit, probare ex Gregorio ipso superfedeo, alibi id prolixius, & diligentius confirmaturus. Itaque si à 574. dempseris 179. reliqui erunt 395. Hoc ergo anno Martinus obiit.

QVINTVM ARGVMENTVM

112. QVOD palmarium esse arbitror. Sanctus Martinus obiit die Dominico, tertio Idus Nouembris: sed iam dicta dies non incidit in Dominicam per ea tempora, nisi vel anno 395. vel anno 400. Atqui non potest eius obitus referri in annum 400. tum quia, vt superius vidimus, is annus abest ab eius ordinatione plusquam 29. annis, quod est aduersus omnem Historiæ fidem, tum etiam quod alioqui Martinus obiisset ætatis non 81. sed 86. annorum; quæ ambo falsissima, & antiquorum testimonio valdè contraria esse iam constat. Restat igitur asserendum obiisse Martinum Anno Christi 395.

113. Iam verò cum tot Chronicis rationibus, & tanta Antiquorum auctoritate pateat, Sancti Gregorij Turonensis narrationi de Martini funere ab Ambrosio procurato, nihil eorum, quæ Baronius obiecit, aut alius quispiam obijcere possit, obstare; Plurimas verò tum eiusdem Gregorij tum etiam aliorum supputationes optimè conuenire, reliquum est, vt cum eodem B. Gregorio ore pleno clamemus: *O Beatissimum Virum (Martinum) in cuius transitu Sanctorum canit numerus, Angelorum exultat Chorus, omniumque cœlestium Virtutum occurrit Psallentium exercitus, Ecclesia virtute roboratur, Sacerdotes Dei reuelatione glorificantur.* Hoc celestimate, quia Portum iam aspicio, Latus finio hanc disputationem. Meritò enim ea verba mihi canenda sunt, quæ Romana Ecclesia in suo